



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXXXIII. Peccata etiam venialia, deliberatè commissa SS. cor Jesu crucifixi vehementer affligunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

CONSIDERATIO CXXXIII.

Peccata etiam venialia deliberatè commissa, SS. Cor Jesu Crucifixi vehementer affligunt.

Quem tu percussisti persecuti sunt: Et super dolorem Vulnerum meorum addiderunt. Psal. 68. 31.

1.

Ubi David Rex, nunc ob admissa delicta in periculo aeternæ reprobationis constitutus, mirabilem illam parabolam de viro divite & paupere audivit, quam Nathan Propheta per pulchras ambages proposuit: *Duo viri erant in civitate una, unus dives, & alter pauper &c.* Indignatus tantæ temeritati in hæc verba prorupit: *Vivit Dominus, quoniam filius mortis est vir, qui fecit hoc; ovem reddet in quadruplum.* Quâ auditâ Davidis confessione publicâ Nathan generoso animo subjungebat: *Tu es ille vir &c.*

Ah nos miseros! indignamur subinde, dum piam aliquam Crucifixi Filii Dei imaginem intuemur, & per transfennam contemplamur, indignamur, inquam, impiis Judæis, Iscariothæ, Caiphæ ac Pilato, quod illi primaria crucifixionis ac mortis ejus causa extiterint, & nos ipsos non tangimus. Ah cur non nobis ipsis indignamur, ac sancto zelo irascimur, dum pariter de nobis, & de quolibet nostrum dici potest: *Tu es ille vir*, qui crucifixisti D. N. J. Christum. Et ecce nondum finis est tot offensarum ac læsionum Filii Dei: *Rursum crucifigentes*, ait S. Paulus, *sibimetipsis Filium Dei.* Nec sufficiebat D. Paulo dicere: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*, sed insuper addidit: *Et ostentui habentes*, hoc est, ait Lyranus, *quia videntur irridere mortem Christi, quasi pro modico eam habentes, & interim liberè peccantes.* Et licet non semper in mortalia prolabantur peccata, venialia tamen ac satis crassa quotidie admittunt. De qua veritate plura impræsentiarum.

Rrr 3

2. Pessi-

Job. 2. 7.

S. Bernhard.
serm. 3. de
Nativit.

2. Pessimus Satan, permittente Numine, Jobum virum optimum juxta ac sanctissimum non duntaxat omnibus spoliavit bonis, sed & pluribus eum vulneribus, morbisque acutissimis cruciavit: *Egressus igitur Satan à facie Domini, percussit ulcere pessimo Job, à planta pedis usque ad verticem ejus. Adverte hic astutiam diaboli! non enim uno ictu ac vulnere Jobum occidit, sed pluribus eum sauciavit plagis. En typum illorum peccatorum, qui à peccatis quidem mortalibus abstant, sed venialibus delictis Crucifixum Jesum quotidie offendunt, & SS. Cor ejus affligunt: Agnosce, ait S. Bernhardus, quàm gravia sint vulnera, pro quibus necesse fuit Christum Dominum vulnerari: Si enim non essent ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio Filius Dei moreretur. Observa; Sunt quidem peccata venialia non ad mortem sempiternam, sed disponunt ad mortem sempiternam; Opponitur enim veniale Bono infinito, & habetur pro levi & modico; interim tamen est ingens malum, quod summo tantum malo minus est; mallentque Beati pœnis addici æternis, cœloque privari, quàm unum peccatum veniale admittere.*

Psal. 68. 31.

S. Bernhard.
serm. 16. in
Cant.

3. Hanc veritatem non obscure prævidit Vates Jessæus, dum de Christo Crucifixo vaticinatus est: *Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. Persecutus est, ut ita dicam, Pater æternus dilectissimum Filium suum Jesum, dum ei non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, proposuitque super eum iniquitates omnium nostrum; Et ecce ista nondum etiam inter Christianos cessat persecutio: Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, quod faciunt illi, qui venialia peccata impudenter, voluntariè ac deliberatè admittunt & committunt. Hic oportet, ut audiamus S. Bernhardum; Pensa, inquit, cujus sit formidinis & horroris iuum, atque omnium contempnisse Factorem, offendisse Dominum Majestatis. Majestatis est timeri, Domini est timeri, atque maximè hujus Majestatis, & hujus Domini. Nam si reum Regia Majestatis, quavis humana, humanis legibus pleæti capite sancitum est, quis finis contemnentium divinam omnipotentiam erit? tangit montes, & sumigant, & tam tremendam Majestatem audet irritare vilis pulvisculus! Uno levi statu mox dispergendus, & minime colligendus? Ille, ille timendus est, qui postquam occiderit corpus, potestatem habet mittere in gehennam. Audis hoc? Hæc S. Bernhardus.*

Exod. 8. 24.

4. Ranae & Ziniphes supra modum fatigarunt Regem Ægypti, & venit insuper musca gravissima in domos Pharaonis, & servorum ejus, & in omnem terram Ægypti; corruptaque est terra ab hujuscemodi muscis. Cæcerum musca impudentissimum animaculum est, ac molestissimum tam jumentis, quàm hominibus, & Abulensis existimat, muscas illas

illas morsu suo fuisse venenatas, unde Scriptura subjungit: *Corrupta est terra ab hujuscemodi muscis.*

Adverte: Peccata venialia sunt similes Ziniphes & muscæ, quæ turmatim venerunt ad Christum Regem Crucifixum, non enim omnes lethaliter peccarunt, qui ad hoc lamentabile crucifixionis concurrebant spectaculum: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloria crucifixissent.* Proinde etiam multi ex ignorantia tantum venialiter deliquerunt; sed quid est peccatum veniale? *x.* Tam est offensa Dei, quam mortale, sed minor, & expedit, ut omnes tam Angeli, quam homines, quin universitas rerum & creaturarum omnium in nihilum revolveretur, quam ut vel unicum veniale admittatur. Quomodo ergo audes, anime mi, in Crucifixum JESUM de novo vel unico peccato veniali & voluntario peccare? Unde S. Ambrosius: *Doles Domine, & verè doles non tua Vulnera, sed nostra scelera, quia videlicet infinites magis DEus odit peccatum, quam omnia tormenta, quorum illud causa fuit.*

1. Cor. 2. 8.

S. Ambros. in Luc. 6. 10.

5. Rem audi mirabilem ac stupendam. Tempore Maximiani Imperatoris, cum is Apimeæ in urbe, quæ est Syriæ Metropolis cum aula sua resideret, immanis contra Christianos excitata est persecutio, in qua ad tribunal delatus est S. Mauritius heros insignis ac Capitaneus, cum septuaginta aliis Christianis militibus, qui ad quaestionem omnes uno ore & animo Christum & hunc Crucifixum, verum Deum & hominem confitebantur. Contra quodpium agmen pugnat comprimis Tyrannus vinculis, flagris, uncis, equuleis, sagittis, flammis & ferro; sed frustra omnia, stabat enim ob amorem Christi inter omnes cruciatus immota hæc fortissima Martyrum phalanx. Sed audi immane crudelitatis inventum. Locus erat medius paludem inter & flumen, ubi innumerabilis crabronum, vesparum, ziniphum, fucorum, culicum & similibus insectorum videbatur multitudo; hic ergo generosus athleta Mauritius cum sociis ad palum fortissimè alligatus est nudus, & melle illitus, ac toto corpore perunctus, ubi inter divinas laudes cum cæteris SS. Martyribus per innumeros vesparum aculeos intra decem dies lento & acutissimo martyrio, consumptus, & usque ad ossa exesus est. En Lector prudens, potuitne vel ipse diabolus aliquid crudelius excogitare?

Simon Metaphr. & ex Menæis 21. Febr.

6. O Christiani! Ecce monstro vobis pientissimum Redemptorem vestrum JESUM ad palum crucis alligatum, imò dirissimis affixum clavis, & toto corpore saucium. Ah quam innumera multitudo

titudo peccatorum, & mortalium & venialium ipsum inter paucas horas in cruce confecit! *Tolle, tolle: Crucifige, crucifige*, succlamabant omnes, & tanquam vespæ & ziniphes ac muscæ venenatæ turmatim irruerant in JESUM, ut eum perderent; inter quos & pueri erant petulantes, qui, teste S. Anselmo in dialogo Passionis, lutum & lapides projiciebant in Christum; Hoc faciunt etiamnum illi, qui sine rubore, sine timore venialia quotidie admittunt, & gloriantur in iniquitatibus suis, de quibus S. Bernhardus: *Magis aggravant Christum vulnera peccati nostri, quam vulnera corporis sui*; Et in alio loco: *Tua leve dixeris, quo offenditur Christus? unde ad Dei tribunal pertrahi debes? cum horrendum sit incidere in manus Dei viventis.*

S. Bernhard.
serm. 2. de
Pasch.
Idem serm.
29. in Cant.

7. Refert Cæsarius Heisterbacensis libro 4. illustrium Miraculorum de quodam Religioso socorde, & ad psalmodiam sæpius indormiscente, quòd à Christo crucifixo Domino in choro graviter fuerit castigatus; verba illius enarro: Vix sunt duo menses elapsi, quòd Dominus Abbas Campensis retulit nobis de Monacho quodam, qui semper in Choro solebat dormire, rem terribilem valde: Nocte quadam cum ex more dormiret, aliis psallentibus, CRUCIFIXUS ex altari venit, dormientem excitavit, & tanto cum nisu maxillam ejus percussit, ut intra tertium diem moreretur. Accedit hoc anno 1222. Mitto quàmplures alias historias, illorum etiam Sanctorum, qui propter peccata venialia à Deo horrendum fuerunt castigati in modum. Nobis sufficiat sententia Sapientis: *Quasi à facie solubri fuge peccata; Etiam venialia.*

Eccli. 21. 2.

